

## CAPUT II.

## DE INFUSIONIBUS.

**I**nfusiones sunt medicamentorum extractiones sub forma liquida ex illorum speciebus, mediante temporis spatio, in liquore commodo, in frigido, seu calido loco factæ.

Infusiones in duas classes præcipuè dividuntur, in Laxantes, videlicet, & Alterantes: Laxantibus verò communiter in Medicina hodie utimur: nam solum particulæ subtiliores, & magis solubiles simplicium purgantium, mediante infusione in liquore aquoso, extrahuntur; & ideo operationes ab illis factæ benigniores sunt, quàm in decoctis, seu aliis medicamentorum compositionibus.

Modus, sive methodus ita est, ut species pro re nata, vel mudentur, vel scindantur, vel contundantur, deinde iis liquor aquosus in sufficiente, seu præscripta quantitate affundatur, atque per aliquot horas, seu dies, secundum exigentiam, macerentur, sive digerantur, & denique colentur, ut ad usum porrigantur.

Notandum quod, quamvis Vina, Acetum, Tincturæ, & aliæ species medicamentorum liquidorum eadem operatione fiant, hîc tamen ea non describimus, sed ad diversa capita eorum dilucidationem, & explicationem mittimus.

## INFUSIO ROSARUM ALEXANDRINARUM.

**R.** Foliorum Rosarum Pallidarum recentium à calicibus probè mundatorum, . . . libras duodecim.  
Aquæ communis ferventis, . . . libras triginta.

Infundantur in vase fictili vitreato per spatium viginti quatuor horarum, postea expressione facta, rursus calefiat; non tamen ad ebullitionem usque, & altera fiat infusio ejusdem quantitatis Foliorum Rosarum, coletur deni-

que, & exprimatur: hæc operatio ter, quaterve reiteretur, ac per subsidientiam depurata usui servetur.

*Eodem modo fiunt infusiones.*

Rosarum Rubrarum.

Florum Persicorum.

Papaveris Rhœados, & similia.

Notandum quod aliæ infusiones laxantes, & alterantes extemporaneæ fiunt, & secundum varias intentiones à Medicis præscribuntur.

---

### CAPUT III.

#### DE VINIS, ET CEREVISIIS MEDICATIS.

**V**ina, & Cerevisiæ medicatæ, seu compositæ, nihil aliud sunt, quam ipsa Vina, ipsæque Cerevisiæ particulis unius, sive plurium simplicium, fermentatione mediante, aut infusione, imprægnatæ.

Vinum paratur ex omnibus ferè Succis fructuum maturorum, ritè fermentatis: fitque ex melle, & saccharo in Medicina, attamen vinum ex musto fermentato inservit.

Cerevisia etiam est vini species, & ex lupulo, hordeo, tritico, avena, similibusque in debita aquæ quantitate decoctis, ac fermentatis efficitur.

Dupliciter itaque vina medicinalia præparantur, infusione, videlicet simplicium in musto, seu in mistura hordei, & aquæ, ut simul fermententur, ac eorum substantiæ, aut virtutes, à liquoribus extrahantur, vel infundendo simplicia in Vino, aut in Cerevisia, ut, mediante digestionem, insolationem, vel macerationem per dies aliquot, partes eorum activæ dissolvantur.